



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Archdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter
accommodatæ ...

De Controversijs Polemicis, & Scholasticis, etiam modernis

Archdekin, Richard

Antverpiæ, 1682

P. 7. Consuetudo peccandi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40853

P.7. Consuetudo peccandi.

Nisi adsint signa conversionis omnino extraordinaria, & nisi absit casus necessitatis, differenda est absolutio peccatori habenti consuetudinem peccandi, qui ante absolutionem notabili tempore vitam non immutaverit, etsi cum lachrymis promittat vitare occasiones peccandi, & paratum se præbeat ut adhibeat remedia à Confessario præscribenda.

Certum est, doctrinam hanc adversari communi praxi Ecclesiæ, prout ea colligitur ex Authoribus classicis & maximè probatis; nullam hi admittunt legem universalem differendi absolutionem peccatori laboranti consuetudine peccandi, si talem ostendat dispositionem, qualem jam descripsi. Minimè igitur tutum videtur aufcultare paucorum sensui cum tanta Sacramenti, & pœnitentis injuria Sacramenti quidem, quia praxis illa paulatim à Confessionis usu plurimos deterreret, qui experti fuissent se cum singultu ac lachrymis absolutionis beneficium frustra implorasse. Accedit injuria pœnitenti irroganda, si repellatur ab auxiliis quæ virtute Sacramenti conferuntur, ut consuetudini pravæ potentius resistat: & præposterè adigatur ne medicinam percipiat, nisi prius morbum curaverit. Quantum possit hæc praxis incommodi procreare Missionario, dum plura loca unus, & rarò perlustrat, satis edocet assiduus usus & experientia.

P.8. Timor relapsus.

Ilicitum est absolvere peccatorem, quamvis de sufficienti illius dolore Sacerdos sit moraliter certus, si adsit probabilis timor de relapsu.

Si